

MILARIBVS VIA ARITHMET. EXTRAHEN. CLIII

nutorum quære in area tabulæ proportionum in parallelo maiori, id est, in eleuatione poli minori duorum locorum propositorum, quo reperto apparebit differentia longitudinum dictorum locorum in fronte tabulæ inter numeros differentiæ longitudinum. Exemplo hoc aperiam, proponatur mihi Damascus & Babylon quarum itineraria distantia in miliaribus Ptholemaicis fertur esse 517. huius quadratus numerus 267289. & est unus numerus quadratus. Differential latitudinum illorum locorum est graduum 2. qui resoluti in minuta faciunt. 120. quorum numerus quadratus est 14400. & est secundus numerus quadratus. Hunc secundum quadratum tollo de primo quadrato, & manebunt 252889. & est tertius quadratus. Huius tertius quadrati quæro radicem quadratam quæ est 503. & sunt minuta, eo quod omnes numeri sunt minuta. Illa 503. minuta reduco ad gradus & hent gradus 8. minuta 23. Hos gradus & minuta quæro in area tabulæ proportionum parallelorum &c, in maiori parallelo dictorum locorum scilicet 33. grad. quos reperio sub 10. gradum differentiæ longitudinum, quare pronuncio Damascum & Babilonem differre in 10 grad. longitudinum. Hæc etiam propositio ex præcedenti procedit. Nam si alterum ex lateribus rectum angulum constituentibus datum fuit cum latere rectum eundem angulum subtendente, quadratam minoris ex quadrato maioris demas, & reliqui quadrata, radix tertium latus notificabit.

SECVNDA PARS HVIVS DE DISTANTIIS uiarum inueniendis via Geometrica.

Distantias locorum in miliaribus Geometricè per globum
Geographicum subtiliter reperire.

Portionis circuli magni inter duo loca interceptæ proportio ad totū circulum, miliariorum inter loca interceptorum ad totum ambitum terræ habitudinem indicat. Quare extendatur circinus secundum locorū intercedinem in globo Geographicō, si ibi inserta sunt; & eum sic inuiciatum transfer supra equantorem in eodē globo, & quotquot ibi gradus intra pedes duos circini inueneris, tot erūt gradus circuli magni inter duo loca proposita, hos gradus multiplica per 60. & habebis miliaria Ptholemaica vel per 15. & habebis germanica cōmunia. Si autem hæc eadem loca quorum distantiam itinerariam quæris non fuerint expressa in globo, impone ea isto modo. Accipe globum Geographicum aut etiam si uis quemcunq; alium qui habeat æquinoctiale diuisum in 360. gradus habeatq; armillā meridianam nobilem. Deinde unius loci latitudinem ab æquinoctiali polum uersus in meridiano nobili computa, qua explorata circuolue globum donec gradus æquatoris, qui longitudinis graduū in presentiariū tenet, direxerit sit sub isto meridiano mobili, postea tac signaturā in globo circa gradum latitudinis, hæc enim signatura situm dicti loci manifestat. Idem modus erit inueniendi sitū alterius loci. Sic enim operare in omnibus locis imponendis. Exemplo accipe uolo itinerariam distantiam inter Nurmberga & Neapolim. Nurmberga habet in longitudine gradus 31. minuta 30. In latitudine gradus 49. Neapolis uero habet in longitudine gradus 40. minuta 0. in latitudine autem gradus 40. mi. 30. Quibus iuxta præceptum huius propositionis in globum positis, inuenio intra pedes circini gradus 10 minuta 40. ferè, quod si hos gradus & minuta multiplicas per 60. produces miliaria Ptholemaica, per 15. autem miliaria germanica produces.

Metheoroscopium: rationem continens siue proportionem singulorū parallelorum ad æquinoctiale uel quemlibet maximum circulū gnomone eius pro distantijs uiarum geometricè reperiendis: construere.

Protra